

et in America septentrionali ¹ admitti non improbabiler asseritur.

Per cessionem honorum non perimitur jus debitoris ad congruam sui suorumque sustentationem. Non est enim pejoris conditionis quam cæteri debitores, quibus familiæ necessitas gravis est justa causa restitutionem differendi ².]

ARTICULUS XVII

De causis quæ tollunt obligationem restitutionis.

[Tres causæ numerantur quæ obligationem restitutionis omnino tollunt, scilicet compensatio legitima, condonatio creditoris et autoritas publica.

Prima causa. Compensatio legitima.

Duplex est compensatio, *legalis* et *extra-legalis*. Prior fit, quando duo qui sunt ad invicem debitores, singuli in solutionem computant rem alteri debitam. Sic, v. g., tibi debeo centum pro tritico, et mihi centum debes pro vino: utrumque debitum per compensationem exstinguitur. Hæc compensatio, quæ manifeste licita est, dicitur *legalis*, quia lege confirmatur ³. Posterior fit occulte, extra conditiones a lege statutas, et est proprii boni recuperatio per rei alienæ occupationem. De hac sola nobis est agendum.

Dico: Occulta compensatio aliquando justa et licita esse potest, si debitis conditionibus non careat.

Prob. quia, his conditionibus positis, nulla fit injuria debitori, neque ulla sequitur perturbatio ordinis a jure statuti, neque ullum reipublicæ infertur damnum. 1° Nulla fit injuria debitori; nam supponitur te id tantum accipere quod certo tuum est, seu quod ex stricta justitia tibi debetur. — 2° Nulla sequitur perturbatio ordinis a jure sta-

1. Konings, n. 861. — 2. Marc, *Instit. moral. Alphons.*, n. 1021-1023. — 3. Cod. Gall., art. 1289; Ital., art. 1285.

tuti, siquidem supponitur, vel judicem adiri non posse, saltem sine notabili incommodo, vel eum jus partis læsæ restituere non posse, quia deficiunt probationes juridicæ. Recte enim prætermitti dicitur id quod incassum quæretur. — 3° Nullum reipublicæ infertur damnum; satis enim ei consulitur per cautiones quæ inter conditiones requisitas recensentur ¹.

Porro conditiones requisitæ sunt: 1° Ut debitum sit certum, saltem moraliter; « in dubio enim melior est conditio possidentis. » Si dubium versetur tantum circa modum compensationis, et non plus accipiatur quam debetur, compensatio non est injusta, imo neque illicita, si ex ratione vere probabili agatur. 2° Ut debitum non possit aliter recuperari saltem sine gravi incommodo; nam, si viæ communes pateant, gravis injuria debitori et ordini publico irrogaretur. 3° Ut compensatio fiat in eadem specie, in quantum est possibile. Secus, res debitoris, illo rationabiliter invito, injuste permutaretur. 4° Ut non fiat cum damno debitoris, scilicet præcavendo ne bis solvat, si forte sit restitutus ².

Petes 1° utrum satisfecerit obligationi restituendi qui, debiti immemor, aliquid gratuito creditori donavit.

Resp. Quamvis plures negent, probabiliter affirmandum esse censemus, « semper ac certe præsumitur quod debitor, si debiti sui fuisset memor, nequaquam donasset. Ratio est, quia semper censetur quisque, cum dat bona sua, velle potius satisfacere obligationi justitiæ, quam voluntati donandi, sive obligationi factæ donationis; quæ cum facta fuerit per errorem sive per debiti oblivionem, quæ dedit causam donationi, manet rescindibilis ab eodem donante, qui in conscientia non tenetur ad eam implendam ³. » Et hoc indubium videtur, si, prius soluto debito ex justitia, donatio facta fuisset notabiliter onerosa; nam pauci vellent se ita gravare.

1. Gury, n. 621; S. Lig., lib. IV, n. 521. — 2. Gury, n. 622; S. Lig., *Homo apost.*, X, 21. — 3. S. Lig., *Homo apost.*, X, 120; lib. IV, n. 700.

Petes 2^o utrum famuli quibus videtur salarium suum insufficiens esse, uti possint occulta compensatione,

Resp. negative, generaliter loquendo. Constat 1^o ex condemnatione sequentis propositionis, n. 37, ab Innocentio XI: «Famuli et famulae domesticæ possunt occulte heris suis surripere, ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario quod recipiunt.» Quæ propositio fuit reprobata ob generalitatem suam. 2^o Ex ratione. Standum est pactis et conventionibus ex utraque parte bona fide initis. Ergo famuli nihil præter salarium stipulatum sibi attribuere possunt; vel, si errore aut fraude fuerint decepti, licet illis contractum rescindere. 3^o Ab inconvenientibus. Si talis compensatio ut in se licita haberetur, innumeris furtis via esset aperta; nam famuli facillime sibi persuaderent sua stipendia esse justo minora, et sic nulla securitas dominis superesset. — Idem dic de operariis ad tempus conductis et omnibus artificibus vel mercatoribus ¹.

Dixi, «generaliter loquendo;» quia, si famulus fuerit deceptus, si extraordinaria et indebita opera ei imponantur, et dominus ei omnem retributionem correspondentem denegat, fas erit illi se compensare, cavendo ne justos limites excedat ². Et hoc non contradicit condemnationi propositionis supra relatæ, nam evidens est Pontificem non intendisse obligare famulum contra justitiam. Si vero famulus sponte sua augeat operas debitas, nihil potest surripere in compensationem; quia tunc censetur operam suam condonare, ad conciliandam sibi domini gratiam ³.

Petes 3^o utrum damnatus a judice ad solvendum debitum quod certo non contraxit, vel certo jam solvit, possit se compensare occulte.

Resp. affirmative; quia sententia judicis, etsi juridice justa, est formaliter injusta, utpote innixa falsa præsumptione facti, proindeque conscientiam non ligat. Standum est quidem semper sententiæ judicis, si adsit probatio vel

1. Gury, n. 623. — 2. S. Lig., lib. IV, n. 322. — 3. Id., ibid. n. 323.

præsumptio juris, nisi de injustitia legis constet; secus autem, si sit simplex et falsa præsumptio facti, qua detecta, ille qui sententiam obtinuit, rem sibi adjudicatam restituere deberet, quia dominium ad eum non fuit valide translatum. Ita communiter.

Secunda causa. Condonatio.

Condonatio quæ tollit obligationem restituendi, est remissio debiti libere facta a creditore habili ad condonandum, id est, qui habet dominium et administrationem rei sibi debitæ. Plures dicunt quod condonatio debet esse etiam spontanea. Sed videtur nobis certo sufficere ut sit libera; nam, si creditor adducatur ad debitum remittendum precibus et sollicitationibus quæ libertatem ejus integram relinquunt, non est dubitandum quin dominium rei valide ad debitorem transferat.

Non requiritur semper condonatio expressa, sed sufficit tacita, aut etiam præsumpta, modo sit moraliter certa. Ita communiter. Ratio est, quia ad rem alienam absque injustitia accipiendam et retinendam, non requiritur positiva domini voluntas, sed sufficit ut ipse non sit positive invitus ¹. Si vero dominus æstimandus sit invitus tantummodo quoad modum acquirendi, cum jus ejus aliquo modo violetur, culpa non potest excusari a veniali.

Quomodo fiat condonatio in foro externo, videndum est in variis Codicibus ².

Tertia causa. Autoritas publicæ potestatis.

Facultas transferendi dominium competit tum principi civili, in ordine ad bonum publicum temporale, tum summo Pontifici, in ordine ad bonum publicum spirituale. Inde sequitur restitutionis onus posse, justa intercedente causa, tolli ab utraque potestate.

Huc referuntur quæ supra de inventione thesauri, de

1. Id., ibid., *quæ*. 1^o. — 2. Cod. Gall., art. 1282-1284; Ital., art. 1280.

præscriptione liberativa, de fructibus rei alienæ bona fide perceptis fuse diximus. Quibus nonnulla hoc loco addere juvat : 1° de sententia judicis; 2° de compositione cum summo Pontifice; 3° de sanatione super Ecclesiæ bonis injuste alienatis.

I. Sententia judicis, non falsa præsumptione innixa, sed freta veritate, tollit restituendi obligationem. Ratio est, quia talis sententia fulcitur autoritate legum, quæ, ratione boni communis, rerum dominium legitime transferunt.

Hinc, non teneris restituere : 1° si judex, in pœnam aliqujus delicti a creditore tuo patrati, imponit hanc muletam, ne tu ei restituas quod ipsi debes; 2° si ex æquitate adjudicat tibi aliquid quod alias in rigore justitiæ tibi non deberetur.

II. Compositio cum summo Pontifice tunc habetur, cum Romanus Pontifex, ex suprema sua potestate, ita transigit, ut una quidem pars debiti in pias causas impendatur, altera vero debitori condonetur, supplendo de thesauro Ecclesiæ utilitatem spiritualem quæ domino obveniret, si totum debitum in eleemosynas impensum fuisset¹.

Ut compositio sit legitima, et debitorem in foro conscientie liberet, requiritur : 1° Ut bona sint omnino incerta; si enim domini aliquantulum cognoscantur, ut in furtis minutis mercatorum fraudantium in pondere et mensura, non possunt sine injuria directe et absque eorum consensu spoliari. 2° Ut adsit justa causa; secus enim valida quidem esset compositio, sed illicita, in rebus ecclesiasticis; in cæteris vero, deficiente causa, etiam invalida foret: quia, in primo casu, summus Pontifex dispensat in lege propria, non item in secundo. — Si tamen causa justa fuerit, compositio semel facta non revocatur, quamvis compareat dominus, quia dominium jam legitime translatum est. Ita Lugo, contra alios, qui volunt debitorem in

1. S. Lig., *Homo apost.*, X, 117, 2°.

eo casu teneri restituere domino illud in quo factus est ditior¹.

Hæc compositio fit per bullam *Cruciatæ*, pro illis quibus illa concessa est, v. g., in Hispania, in Sicilia, etc. Potest etiam obtineri a S. Pœnitentiaria, cui concessa fuit, ex bulla *Pastor bonus*, facultas remittendi partem de male ablatis vel retentis, si dominus sit incertus, casus occultus et delinquens pauper. Pars vero quæ non remittitur, eroganda est pauperibus, vel in pia opera impendenda, et quidem, si fieri possit, in ipsis locis ubi facta est injusta illorum honorum comparatio.

Ad episcopos quod attinet, verior sententia tenet, compositionis facultatem ipsis non competere, cum sit actus supremæ potestatis².

III. Sanatio super bonis Ecclesiæ injuste alienatis tunc fieri dicitur, cum summus Pontifex, qua supremus honorum Ecclesiæ administrator, ob justam ac gravissimam causam istiusmodi alienationes convalidat. — Sic convalidavit alienationes quæ tempore perturbationis Gallicæ factæ fuerunt. — Qua super re poni possunt sequentia.

Petes 1° quænam Ecclesiæ bona usurpata nunc retineri possint.

Resp. 1° Attendendum est, in variis regionibus, quando nam sanatio a Sancta Sede facta fuerit. Jam vero facta est : 1° Pro Anglia, post Henricum VIII, ex facultate a Julio III Cardinali Polo concessa. — 2° Pro Gallia et Belgio, die 13 aug. 1801, per bullam *Ecclesiæ*. — 3° Pro Pedemontio et Genuensi ducatu, die 20 dec. 1816, per Breve *Datis ad nos demum*. — 4° Pro regno utriusque Siciliæ, die 7 martii 1819, per constit. *In supremo*. — 5° Pro Borussia, die 16 julii 1821, per constit. *De salute animarum*. — 6° Pro toto Sardinie regno, die 14 maii 1828, per bullam *Gravissimæ* Leonis XII.

Insuper : 1° Pro Gallia, Pius VII, die 20 oct. 1821, Breve

1. Id., lib. IV, n. 592 et 593; *Homo apost.*, X, 68. — 2. Id., lib. IV, n. 696.

ad episcopum Pictaviensem direxit, in quo declaratur factam concessionem applicari posse omnibus bonis ecclesiasticis a gubernio prius occupatis, id est, ante conventionem anni 1801, sive jam, sive nondum ea alienaverit. — 2^o Pro Belgio similis facta est declaratio die 16 sept. 1833, per Breve Epistolam Gregorii XVI, ita ut quisque emere posset bona quæ eo adhuc tempore a gubernio detinebantur.

2^o Attendendum est ad appositas condiciones. Jamvero : 1^o S. Pœnitentiaria ita ad illustriss. D. Bouvier, 10 martii 1818, rescripsit : « S. Pœnitentiaria, de expressa Apostolica autoritate consulenti oratori declarat, bona ecclesiastica (a gubernio Gallico occupata ante conventionem initam anno 1801)... in plena acquirentium proprietate esse, adeo ut ea retinere, iis gaudere atque alienare etiam illa tuto ac libere possint in foro tum externo tum interno, dummodo tamen acquisitio facta fuerit secundum leges tunc vigentes. Hortatur tamen acquirentes istos, ut pro sua pietate ac religione satisfacere velint piis missarum, eleemosynarum, aliarumque rerum similium, oneribus quæ bonis illis olim forsitan infixæ erant¹. » 2^o Prodierunt similia rescripta pro Italia superiori, annis 1845 et 1847.

Petes 2^o quænam bona ecclesiastica sint adhuc restitutioni obnoxia, et quomodo.

Resp. 1^o. Restitutioni obnoxia sunt ea omnia quæ non condonavit Pontifex, nimirum : 1^o bona quæ non fuerunt a gubernio unquam occupata, sed ejus manus effugerunt, quia vel apud privatos, v. g., eorum bonorum colonos, remanserunt, vel a privatis ipsis vi usurpata fuerunt; 2^o bona quæ fuerunt, initis jam cum Sancta Sede conventionibus, a gubernio occupata; 3^o bona quæ, dum iniuntur conventiones, gubernium se traditurum esse Ecclesiæ promisit, nec tamen postea tradita sunt. Hæc omnia per se patent.

2^o Horum bonorum restitutio facienda est juxta regulas

1. Bouvier, de Contract., p. II, c. 2, art. 1, § 3, sect. 1.

quibus subjacent possessores bonæ vel malæ fidei, prout nempe usurpatores, eorumve hæredes, in bona vel in mala fide versantur¹.

Nota. Condonatio a summo Pontifice facta non liberat per se a censuris ecclesiasticis quas usurpatores incurrunt. Attamen Leo XII, bulla *Gravissima*, omnes regni Pedemontani sive laicos sive ecclesiasticos absolvit a quibuscumque censuris et pœnis hac de causa incursis.

Petes 3^o an possit obtineri facultas emendi bona Ecclesiæ usurpata et nondum condonata, v. g., bona in Italia ab anno 1860 usurpata?

Resp. « Hodie ab Ecclesia non ita facile conceditur hæc facultas, nisi extraordinariæ adsint circumstantiæ, vel agatur de personis quæ morum probitate et zelo religionis conspicuæ sint, quæque ad prædictam emptionem præcipue majori Ecclesiæ et personarum ad quas eadem bona de jure pertinent utilitate, prudenti judicio, motæ censeantur, quæ insuper providere debent vel testamento, vel alio modo, ut illa bona post mortem ad eos proveniant, qui sint servaturi Ecclesiæ præscriptionem². »

Porro, ut talis facultas obtineatur, recurrendum est ad S. Pœnitentiariam, declinato nomine et cognomine petentis, et obtenta proprii episcopi commendatione. Facultas pro concessione mitti solet ad Ordinarium diœcesis, qui ea utitur sub sequentibus conditionibus ab iisdem personis acceptandis et subscribendis, atque in cancellaria episcopali caute servandis, videlicet : « 1^o Retinendi eadem bona ad nutum Ecclesiæ, ejusque mandatis subinde parendi. — 2^o Conservandi eadem bona, ac in eis rem utilem gerendi. — 3^o Satisfaciendi piis oneribus, si quæ dictis bonis adnexa sint, et ex fructibus eorundem subveniendi personis et ecclesiis ad quas respective eadem bona de jure pertinent. » (In aliis Rescriptis legitur : « Et erogandi reditus eorum bonorum, qui, facta proportione, excedant solutum pretium, vel in favorem

1. Cfr. *Analecta juris pont.*, series V, col. 122. — 2. Del Vecchio, I, n. 587.

personarum aut locorum piorum ad quæ dicta bona de jure pertinent, vel in satisfactionem pretii in emptionem soluti, quatenus emptor repetere velit, et de consilio Ordinarii. ») 4° Certiorandi hæredes et successores de hujusmodi obligationibus per syngrapham, ad hoc ut et ipsi sciant ad quid teneantur. »

Hæ pariter esse solent conditiones, quando Ordinariis conceditur facultas, sive per se, sive per confessarios sibi bene visos, indulgendi emptoribus ut retineant bona sine licentia empta, prævia absolutione a censuris et pœnis ecclesiasticis, cum pœnitentia salutari.

« Quoad vero adimplenda onera bonis adnexa, et subveniendi ex fructibus, etc., potest computari illud quod a gubernio jam solvitur personis et ecclesiis spoliatis. » *S. Penitentiaria, 23 martii 1873¹.*]

DISSERTATIO VII

DE VITIO OPPOSITO JUSTITIE DISTRIBUTIVÆ,
QUOD EST ACCEPTIO PERSONARUM

D. Thomas, q. 63.

ARTICULUS I

Dico 1°: Acceptio personarum est injustitia qua in rebus communibus ex justitia distribuendis non attenditur ad proportionem meritorum vel idoneitatem eorum quibus dantur, sed aliquam causam huic rei impertinentem.

Dixi, « in rebus communibus, » sive bonis, ut sunt officia publica, beneficia, honor, judicium, etc.; sive malis, hoc est onerosis, ut sunt tributa, vectigalia, operarum contributiones, pœnæ, etc.

1. Marc, *Instit. moral. Alphons.*, n. 1027-1030.

Observandum est autem, bona communia esse duplicis generis. Quædam sunt primario et immediate ordinata ad bonum publicum, et eo mediante tantum ac secundo in utilitatem particularium qui ea occupant, ut sunt beneficia, officia publica, dignitates, etc. Alia sunt primario ordinata ad utilitatem particularium, ut sunt ærarium publicum, proventus communes, legatum pauperibus distribuendum, summa pecuniæ a rege tradita distribuenda militibus bene meritis, etc. Igitur utrorumque bonorum mala distributio est acceptio personarum opposita justitiæ distributiæ, in quantum non attenditur proportio meritorum; sed insuper utrobique reperitur violatio justitiæ commutativæ, diversimode tamen. In mala distributione bonorum primi generis violatur justitia commutativa erga rempublicam vel Ecclesiam; quia hæc vel illa habet strictum jus ut de optimis ministris ipsi provideatur, et provisoribus id incumbit ex officio. Unde, per seloquendo, illi restitutio facienda est, non vero particularibus, in quorum utilitatem hæc bona non sunt primario ordinata, qui ideo non habent jus strictum ad illa, sed tantum jus aptitudinis. At vero in mala distributione bonorum secundi generis reperitur violatio justitiæ commutativæ etiam erga particulares; quia ex hoc quod hæc bona sint ipsis primario destinata, habent ad illa jus strictum, hoc est jus ad rem, et illis restituere tenetur malus distribuor.

Dico 2°: Acceptio personarum est ex genere suo peccatum mortale¹; quia omnis injustitia est ex genere suo peccatum mortale. Atqui acceptio personarum est injustitia opposita justitiæ distributiæ, quæ est virtus præstantior commutativa, et ex qua non minora damna sequuntur quam ex commutativa. Ergo.

1. Hic q. 63, a. 1, 0.